

alios hæreticos, fautores, receptores, et defensores eorum; « præsertim in probationum aliarum defectum: si ex verisimilibus conjecturis, et ex numero testium, aut personarum tam deponentium, quam eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumstantiis, sic testificantes falsa non dicere præsumantur. » Hæc ibi. Concordat c. *Contra christianos*. 13, eod. in 6, ac tradit Mascardus cit. concl. 946, n. 9; Pirhing h. t. n. 62; Farinacius d. quæst. 56, n. 227, allegans alios. Quanquam statim n. 228, subjungat, quod tunc Judæus, aliisque infidelis, non sit testis integræ fidei, atque omni exceptione major, neque faciat plenam probationem, sed indicium ac præsumptionem solum; prout et allegatus textus c. *In fidei. de Hæretic.* in 6, clare supponit.

157. *Testimonium christianorum indistincte admittitur contra Judæos.* — Objicies majoris claritatis gratia contra datam conclusionem: Testimonium christianorum indistincte admittitur contra Judæos; ergo etiam vicissim testimonium Judæorum contra christianos recipiendum est. Antecedens patet ex c. *Judæi*, 21, h. t., ubi Alexander III, in concilio Lateranensi sic decrevit: « Testimonium quoque christianorum adversus Judæos in omnibus causis (hoc est, tam in civilibus,

quam criminalibus), cum illi adversus christianos testibus suis uti præsumant, recipiendum esse censemus. » Concordat Clem. *Cum Judæi*, eod.

158. *In judiciis servanda est æqualitas.* — Consequentia vero probatur: quia in judiciis servanda est æqualitas; ut cap. II, *de Mutuis petition.*, etc. *Cum inter*. 3 *de Exceptionib.*, et I. *In sacris scriniis militantes*. §. *Et quoniam*. C. *de Proximis sacror. serinior.* Ubi dicitur: « In controversiis, quas in judiciis moveri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus servari, et adversariis eorum, » cum similibus. Resp. concessio antecedente, negando consequentiam.

159. *Et qualiter istud sit intelligendum?* — Ad hujus probationem dicitur cum Glossa in cit. Clem. *Cum Judæi*, §. *Juri*. h. t., quod æqualitas illa, quæ in judiciis observanda est, respiciat personas actoris, et rei; ita videlicet ut regulariter « non liceat actori, quod reo licitum non existit, » prout loquitur reg. 32 jur. in 6. Non vero æqualitas illa debet respicere personas testium, alioquin enim sequeretur, quod cum vir probus, ac fide dignus, non recipiat testem criminis vel excommunicatum contra se, nec ipse contra illum in testem recipi possit: quod utique est absurdum.

ADNOTATIONES

IN TOMUM SECUNDUM ANACLETI REIFFENSTUEL.

ADNOTATIO I.

Lib. I. Decretal. Tit. XXXI, de Officio judicis ordinarii, § I, n. 8, pag. 2.

DECRETA RECENTIORUM CONCILIORUM DE PRIMATU PAPA.

Concilium Parisiense, anno 1849 celebratum, sic se habet: « In primis recordantes institutionem Christi qui suam ædificavit Ecclesiam super Petrum et ejus successores, et cum sancto Irenæo Romanam Ecclesiam eam esse agnoscentes ad quam oportet Ecclesias convenire propter potiorum ejus principalem, profitemur, secundum constantem Ecclesie traditionem, et sancti concilii Florentini definitionem, « sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesie caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. »

» Quo dogmate præmisso, amplectimur omnes et singulas sancte Sedis apostolicæ constitutiones dogmaticas, uti et illas que universalem Ecclesie disciplinam respiciunt, specialiter que a conclusione concilii Tridentini usque in hodiernam diem prolata et promulgata sunt. Declaramus etiam ac docemus eas seculari sanctione non indigere ut, tanquam norma credendorum et conscientie regula, ab omnibus suscipiantur.

» Insuper salutaris regimini ecclesiastici regulis inherentes, hujus concilii provincialis decreta sancte Sedi, que singula expendat et recognoscat, unanimes sententia submittere statuimus.

» Sacerdotes autem et fideles sæpius monitos volumus ut, omni quidem tempore sed potissimum quando Ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos suos ad illam Petri cathedram conver-

tant, in qua residet fidei soliditas, eminet suprema curiam potestas, et unde unitatis vigor per totum Ecclesie corpus diffunditur. » (Tit. I cap. 1).

Concilium Remense, eodem anno: « Inter tot et tanta errorum circumfusorum pericula, ut non simus sicut parvuli fluctuantes et non circumferamur omni vento doctrine, in nequitiâ hominum, in astutia ad circumventionem erroris, totis præcordis amplectimur sanctam Ecclesiam catholicam, que est columna et firmamentum veritatis, et contra quam porte inferi non prævalebunt.

» Et quoniam Christus ipse supra Petrum ejusque successores suam ædificavit Ecclesiam, profitemur cum sancto œcumenico concilio Florentino « sanctam et apostolicam Sedem... » ut supra.

» Convertamus igitur oculos ad Sedem beati Petri apostoli, qui est petra et crepido catholice Ecclesie, et recte fidei fundamentum (conc. Chal.); scientes magnum et indeficientem omnibus christianis fluentem redundantem apud Sedem apostolicam fontem consistere (Episc. Afric. epist. ad Theodorum Papam), et fidem Petri, qui in propria Sede vivit et præsidet, et fidei veritatem querentibus præstat (S. Petri Chrysol. epist. ad Eutychem.) nunquam defecisse nec usque in finem defecturam esse. Unde sequentes in omnibus apostolicam Sedem, in qua est integra et vera christiana religionis soliditas (Formul. *Hormisdæ*), et ei in omnibus consentientes, pro deposito fidei incorrupte custodiendo, acquiescimus et toto animo adheremus omnibus constitutionibus apostolicis novatorum errores damnantibus.

» Insuper falsis quorundam opinionibus obviantes, declaramus easdem constitutiones ab omnibus Christi fidelibus tenendas esse velut credendorum normam et conscientie regulam, independenter prorsus ab omni potestatis secularis sanctione; si quidem Ecclesie decreta, ex Christi institutione et secundum constantem fidei traditionem, proprio robore valeant. » (Tit. II, cap. 1).

Concilium Rhedonense, anno eodem: « In supremo ordinis ecclesiastici gradu, evangelica doc-

trina et apostolicæ traditiones Pontificem Romanum sublimem demonstrant. Profitemur secundum fidem catholicam et conciliorum generalium definitiones « sanctam apostolicam Sedem, etc... » (Conc. Flor.)

« Ad illam igitur Sedem, in qua fides prædicatur et servatur unitas « necesse est, propter potentiorum illius principalitatem, omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles (Iren., *adv. Hær.*, lib. III, cap. III). » Huc, ut verbis utamur Innocentii I, referendæ sunt quæstiones super anxiiis præsertim rebus, ut inde quæ sit tenenda sententia (Epist. *ad PP. conc. Milev.*) « noverint omnes. Nihilquidem satius judicamus quam ut « regulæ formam secuti quam toto semper orbe servatam novimus, arcana apostolicæ Sedis consulamus, unde velut de naturali suo fonte, aquæ sanctæ doctrinæ cunctæ procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant » (Inn. I *ad conc. Carth.*).

« Quocirca iisdem principiis innixi quæ a patribus nostris accepimus, ac posteris integra Deo juvante trademus, summorum Pontificum constitutiones dogmaticas omnes illas, præsertim quæ his ultimis temporibus prodierunt, accipimus, sicuti et constitutiones quæ universalem Ecclesiæ disciplinam respiciunt, illis nos omnino subjicientes ea, qua par est, filiali obedientia. Profitemur enim ac declaramus eas absque sæculari sanctione esse pro omnibus obligatorias, tanquam credendorum normam et conscientie regulam. Eadem observantia, juramenti memores a nobis in consecratione præstiti, quod nunc toto cordis affectu renovamus, mandata apostolica, sive ad hujus provincie disciplinam, sive ad nostram personalem agendi rationem referantur moderandam, « humiliter recipiemus, quam diligentissime exsequamur, totis viribus observabimus et faciemus ab aliis observari. » (Pontif. rom.)

« Tandem Sedis apostolicæ iudicio proponere ac submittere statuimus omnia ac singula hujus synodi decreta ut, nostrorum antecessorum vestigia secuti, reverentiam summo Pontifici debitam exhibeamus, cunctique Christi fideles agnoscant suos pastores per omnia consentire cum illo supremo pastore, cui a D. N. J. C. ovium simul et agnorum, episcoporum scilicet et fidelium, cura commendata est. » (Decr. II).

Albiense, anno 1850 : « Fide certum est sanctam apostolicam Sedem... » (Conc. Flor.) Quapropter agnoscimus et profitendum censemur :

« 1º Romanum Pontificem canonicè electum, sive Romæ sive alibi sedeat, caput esse atque centrum catholicæ unitatis, et in tota Ecclesia honoris et jurisdictionis primatum tenere, quam ei contulit ipsemet Christus, in persona beati Petri, cæjus est successor legitimus.

« 2º Ipsius solius esse episcopus creare, confirmare et instituere per orbem universum ; concilia

œcumenica convocare, eis præesse ac eorum acta propria auctoritate munire et confirmare, qua deficiente nullum robur obtinerent ; posse etiam majores causas cognoscere, appellationes ab episcoporum judiciis suscipere et suam ubique terrarum jurisdictionem exercere.

« 3º Quia non potest D. N. J. C. prætermitti sententia ; *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* ; in Sede apostolica immaculata est semper servata religio. » (Conc. Nic. II) et servabitur. « Cum igitur sancta Sedes sit in fide indefectibilis, ubi per decretum solemniter emissum summus Pontifex proponit aliquid ut catholica fide credendum, ab omnibus hujuscemodi decreto etiam internus debetur assensus. (Bulla *Vineam Domini Sabaoth.*)

« 4º Propter supremam illam, perpetuam et numeris omnibus absolutam potestatem pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam populorum ipsos pastores, quæ summo Pontifici, vi primatus divinitus accepti, competit (Pius VI, *De Nunt. Apostol.*, cap. VII, sect. 2) » leges condere potest quibus universi christiani veram obedientiam præstare tenentur ; quæ proprio robore valent, independenter ab acceptatione subditorum et assensu aut sanctione potestatis sæcularis, et a quibus nemo, nisi ipso summo Pontifice assentiente, dispensari et eximi potest.

« 5º Ipsi pariter competit ab omnibus dispensare etiam conciliorum generalium legibus : uno verbo, ubi de jure positivo et disciplina ecclesiastica agitur, nihil est quod, in casu necessitatis aut magnæ utilitatis, de quo ipsius est dijudicare, facere non valeat.

« 6º Omnium episcoporum est, hisce præsertim difficillimis temporibus, quibus omnis impetitur et nutat auctoritas, iuvigilare et adlaborare ut omnes, Romano Pontifici aretissimis conjuncti vinculis, huic unitatis centro firmiter adhereant, et undequaque firma et inconcussa perseveret apostolica illa potestas, ex qua omnis episcopalis et sacerdotalis auctoritas dimanat et roboratur. » (Tit. II, decr. 2).

Lugdunense, eodem anno :

« 1º Quamdiu Christus in terris visus est et cum hominibus conversatus est, Ecclesiæ quam efformaverat dux ipse fuit et supremus moderator. In ea fovenda, docenda, pascenda, regenda totus erat, spirans in eam spiraculum vite ut, usque ad extrema terræ cresceret in augmentum Dei (Bar. III, 38. — *Coloss.* II, 19). Ad Patrem reversurus, suam non dereliquit sponsam, sed invisibiliter usque ad finem sæculi permanens, visibilem sibi vicarium elegit, et caput Ecclesiæ constituit Simonem Petrum, cui suæ ergo eam charitatis universa munera demandavit.

« 2º Ecclesiæ nimirum, si civitatis imagine adumbratur, Petrus est fundamentum : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

(Matt. XVI, 18). Si cæli janua declaratur, Petrus est cælestis clavicularius : *Tibi dabo claves regni cælorum* (Ibid. 19). Si ovile appellatur, Petrus est supremus Pastor : *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Joan. XXI, 15). Si demum, uti revera est, columna et firmamentum veritatis nuncupatur, Petrus est certum fidei munimen : *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. XXII, 32).

« 3º Quoniam vero adversus Ecclesiam supra Petrum fundatam portæ inferi non prævalebunt (Matt. XXI, 18), immortalis Ecclesiæ inconcussum fundamentum perpetuo manere necesse est. Petrus igitur in Ecclesia Christi semper vivit, Petrus in singulis successoribus loquitur, ut in omnem terram exeat vox ejus et ipsius verba in fines orbis terræ (*Psal.* XVIII, 5). Hanc supremi pastoris vocem omnes sciunt oves ex ovili, quod est universa Ecclesia. Hanc ab apostolicis temporibus audierunt cuncti, tum orientalis, tum occidentalis plagæ doctores. Huic omnia, a Nicæno ad Tridentinum, acclamaverunt œcumenica concilia. Hanc dulcissimam universalis pastoris vocem scimus et nos qui, in loco pascuæ a Domino collocati, Lugdunensi videlicet Ecclesia, ab Irenæo cum amore Petri purissimam ausimus fidei substantiam. Os nostrum, a sexdecim sæculis, ad beati Petri cathedram patet, et ut splendidissimum ei amoris et obedientiæ præstemus obsequium, in ipsismet parentis nostri voces erumpimus : « Ad hanc Ecclesiam maximam et antiquissimam et omnibus cognitam, in gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatam et constantem, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. (Iren. *adv. Hær.* lib. III, cap. III). »

« Quin, ut manifestius appareat Ecclesiæ Lugdunensis haud interrupta traditio, singulari animi exultatione commemoramus, sexcentis abhinc annis in hanc civitatem nostram, ex omnibus Europæ et Asiæ partibus convenisse episcopos, in œcumenicam synodum coactos, et solemniter proclamasse quod nos de Pio IX proclamamus, esse vicarium Christi, successorem Petri, rectorem universalis Ecclesiæ (Conc. Lugd. II).

« 4º Summus quidem Pontifex, legitimus Petri successor, habet in universa Ecclesia primatum honoris et jurisdictionis, ita ut ex eo, tanquam e spiritualis auctoritatis fonte, omnia procedant, et ad eum tanquam ad centrum unitatis omnia conveniant. Proprio jure, et absque ulla a temporibus potestatibus dependentia, decreta facit circa fidem, mores et Ecclesiæ disciplinam, quibus omnes christiani corde et animo subjici debent. Est supremus iudex, ad quem majores et difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referuntur (S. Leo IX, *Epist. ad Petr. patriarch. Antioch.*).

« 5º Nos itaque, his principiis adhærentes, apostolicis constitutionibus specialem assensum renovandum duximus quibus, a Pio VI ad Pium IX, omnes summi Pontifices errores damnaverunt recentiores (Decr. 9). »

Burdigalense, anno eodem : « Quod de summo Pontifice definierunt Florentini Patres, hoc et nos toto animo profitemur : « Sanctam nempe apostolicam Sedem, etc... » (Conc. Flor., t. XIII, edit. prim. Labb. col. 515). Ad Romanam igitur Ecclesiam, tanquam ad unitatis catholicæ centrum, « in qua est integra et vera christianæ religionis soliditas (Concil. VIII gen. Constantinop. IV, t. VIII, prim. edit. Labb. col. 989), propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles (Iren. *adv. Hær.* lib. III, cap. III, n. 2). » Primatus enim ille, tum honoris, tum jurisdictionis, divinitus beato Petro ejusque successoribus collatus, in omnes omnino Christifideles extenditur, nec ullis aut locorum aut temporum restringitur limitibus, cum integrum ovile, agnos videlicet et oves, in perpetuum pascere, fratresque suos, nullo prorsus excepto, confirmare, a Christo Petrus jussus fuerit. Idcirco, plane S. Cypriano assentimus dicenti : « Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit ? » (De unit. *Ecl.* edit. Pamel. Paris. 1633).

« Omnia proinde decreta et leges, quæ ab apostolica Sede prodeunt, profitemur veram esse ac sinceram pro universali Ecclesia credendorum normam et conscientie regulam. « Deus quippe, » ut ait S. Augustinus, in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis (Epist. *cv ad Donat.* n. 16, alias *CLVI*). » Unde eorum temeritatem damnamus qui, supremæ summi Pontificis auctoritati refragantes, de sententiis ejus ac judiciis ad Ecclesiam appellare non metuunt, quasi a capite suo Ecclesia divelli unquam possit, aut alibi esse quam ubi Petrus.

« Errores ergo quoscumque, quovis tempore et modo a sancta Sede damnatos, damnamus ; Signanterque ea omnia quæ in bulla *Auctorem fidei* summus Pontifex Pius VI improbat, reprobabat et damnat (sub fin. post n. 85) pro improbatis, reprobatis et damnatis habenda profitemur.

« Ad apostolicam Sedem referendæ sunt causæ majores, et juxta Innocentii I verba « quæstiones » super anxiiis rebus ut inde quæ tenenda sit via » perspectum habeatur (Epist. *XXII ad conc. Milev.*) »

« Hic residet auctoritas quæ concilia œcumenica, jure proprio, convocat, illis præest, illorum decreta confirmat, et ab iis, prout opus est, dispensat.

« Hic eminent summus ille Pastor qui, per universum orbem, solus dioceses instituit vel supprimit, coadunat vel dividit, iisque præficit epis-

copos, et jurisdictione immediata ubique pollet.

» Quaecumque tandem jura, quaecumque prerogative summo Pontifici competunt, ea omnia filiali affecta summaque observantia agnoscimus et reveremur. Hanc porro observantiam, hoc obsequium praestando, Ecclesia quoque particularis multo magis sibi consulit quam ipsi omnium Ecclesiarum matri et magistrae. » Ibi enim, juxta S. Innocentii verba, universis et murus est et securitas; ibi portus expers fluctuam, et honorum thesaurus innumerabilium (Epist. xi).

» Quo demum plenius testatum faciamus qualiter corde, mente et animo, Romano Pontifici, Pastorum principi, omniumque fidelium patri, devoteamur et adhaeremus, nos apostolicae Sedis non tantum mandata recepturos humiliter et quam diligentissime exsecuturos, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse declaramus ac spondemus (Tit. IV, cap. 1).

Senonense, anno eodem: « Romanum Pontificem Petri successorem agnoscentes, Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum matrem et magistram profiteamur, in qua fides Petri vivit et praesidet nunquam defectura, ad quam propter potentioris principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.

» Quocirca nos provinciae Senonensis metropolitanus et episcopi in concilio congregati volumus frequenter fidelibus inculcari hoc solemne Florentinae synodi decretum: « Definimus Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, etc... »

» Igitur sciant omnes, si qua exoritur circa fidem aut mores controversia, Romani Pontificis esse doctrinas approbare vel reprobare, confutari errores, tenenda determinare (Conc. prov. Senon. 1324); » tam in his que spectant ad disciplinam, ejusdem esse sive leges novas condere, sive antiquos canones redintegrare et urgere, sive eosdem relaxare vel immutare, prout locorum vel temporum necessitas exposulaverit; ideoque sanctae Sedis constitutiones sive dogmaticas, sive practicas, minime a potestatis secularis placito suam vim ducere agnoscimus.

» Nec grave cuiquam jugum videatur, per quod sic omnes ad unitatem compinguntur ut ad singulos descendat pastoris supremi sollicitudo, adeoque illud Clarendallensis cuilibet usurpare liceat: « Tu princeps episcoporum, tu haeres apostolorum, tu potestate Petrus, unctioe Christus. Tu cui claves tradite, cui oves credite; » habent alii sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti; uni unus; nec modo ovium sed et pastorum, tu unus omnium pastor (Tit. I, cap. 1).

Aquense, anno eodem: « Inter apostolos, quos Dei Filius duces et magistros Ecclesiae suae dedit, unum pro ceteris elegit quem primum, caput et principem eorum constituit, quem Cepham sive Petrum primum, in praemium emissa ab ipso

confessionis, fundamentum Ecclesiae suae posuit, cui claves caeteris communicandas soli commisit (S. Opt. lib. VII, 3); pro quo singulariter rogavit ut non deficeret fides ejus, et quem fratres confirmandi auctoritate insignivit; cui tandem totius gregis pascendi curam ita absolute et indiscrete (S. Bern. De Consider. lib. II, cap. viii). Demandavit ut « quamvis in populo Dei multi sacerdotum sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus (S. Leo, serm. iii, De assumpt. sua.) »

Hic primatus Petri pro statuenda, fovenda, illaque servanda Ecclesiae unitate, institutus, non minus quam unitas ipsa, perpetuus esse debuit; perpetui enim aedificii perpetuum esse ducem oportet. Ideoque Petro Romae, ubi suam sedem fixerat, defuncto, in Romanos Pontifices ejus successores, haereditario divinoque jure suprema haec potestas transit. Hinc ab incunabulis Ecclesiae perpetuo et ubique dictum et creditum fuit Romanum Pontificem esse Petri successorem; hinc illa Romanorum Pontificum series, nunquam interrupta, toties contra haereticos et schismaticos invocata; hinc Romana cathedra semper et ubique vocata cathedra Petri et Sedes propria in qua: « Petrus in suis successoribus vivit et judicium exercet » (Phil. presb. in conc. Eph. act. III.)

» Haec est illa Sedes unanimi plausu a PP. conclamata cathedra unica, prima de dotibus (S. Opt. lib. II, 2), unde unitas sacerdotalis exorta est (S. Cyr., cap. LV), et in qua una unitas ab omnibus servanda (S. Opt. ibid.). Haec Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra (conc. Trident. sess. VII, de Bapt. cap. iii), in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus (S. Aug. ep. XLIII, n. 7), et ad quam propter potentioris principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam (S. Iren. adv. Haer. lib. III, cap. iii). Haec felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt (Tertull. de Praescript. cap. xxxvi); ubi fides non potest sentire defectum (S. Bern., epist. xc ad Innoc. II); et in qua immaculata est semper servata religio, et sancta celebrata doctrina (Form. Norm. conc. Hard. t. II, col. 1030). Haec tandem petra super quam Ecclesia est Domini voce aedificata (S. Epiph. in Anchor. n. 9, et S. Hieron. ep. xiv ad Damasum), et in qua est integra et vera christianae religionis soliditas (Norm. supra, col. 1031).

» Hanc ergo Patrum, conciliorum et SS. Pontificum doctrinam toto animo amplexantes, profiteamur et declaramus « apostolicam Sedem Romanamque Pontificem, etc... » (conc. Flor. Hard. t. IX, col. 986).

» Haec autem docendi, pascendi et regendi potestas cum sit suprema, plena, numerisque omnibus absoluta (Pius VI, Resp. super nuntiat. apost. cap. viii) vera est hoc ipso, non solum dirigendi, sed jubendi, leges ferendi et sanciendo, iudicandi et poenas decernendi auctoritas, cui omnes obe-

dire tenentur, et veri nominis jurisdictio cui populi populorumque pastores subjacent; adeo ut in jure ecclesiastico summus Pontifex nihil non possit, ubi id exposcit necessitas aut justa Ecclesiae utilitas. Praeterea cum divina sit et Ecclesiae omnino necessaria auctoritas illa et jurisdictio, namini fas est illius exercitium suspendere aut restringere. Qui autem liberam inter Romanum Pontificem et fideles, praesertim episcopos, qualicumque modo communionem interrumpet, hoc ipso divinam Ecclesiae constitutionem evertere et ipsius unitatem dirimere attentaret (Tit. II, cap. vii).

Idem et iisdem fere verbis docent Patres concilii Tolosani, anno 1850 celebrati, deinde quae sequuntur adjiciunt: « Quapropter declaramus et contestamur apostolicis constitutionibus, independentem ab omni seculari sanctione, ita inesse vim ac nativum robur ut sint norma credendorum agendorumve regula, qua vere et coram Deo omnes obstringuntur.

» Majorum exempla, et maxime sancti Exuperii Tolosani episcopi veneranda vestigia sectantes (epist. s. inn. I ad Exuper. episc. Tolos. n. 1 apud Const. Epist. Rom. Pontif. col. 790), statumus, in causis majoribus, aut gravioribus et anxii quae suboriri possent quaestionibus, nihil a nobis decernendum quin hujus supremae Sedis oraculum consuluerimus. Cuncta etiam responsa atque mandata, veluti ab apostolico culmine (Epist. conc. Afric. ad Theod. Papam, conc. Later. Hard. t. III, col. 734), vel potius ab ore patrum parum quocumque Rom. 531, Hard. t. II, col. 411) demissa humiliter accipientes, quam diligentissime exsequamur, totis viribus observabimus et faciemus ab omnibus observari (Pontif. Rom., de Consecrat. electi in episc.).

» Antiquis ac salutaribus institutis et maxime constitutioni, Immensa Aeterni (Bull. rom. t. IV, part. IV, p. 396, col. 2) felic. record. Xysti V obsequentes, praedecessorumque nosrorum via insistentes (Conc. prov. Tolos. a cara. de Joyosa, archiep. Tolos. Hard. t. X, col. 4834) decernimus hujus synodi decreta non ante promulganda quam a Romano Pontifice recognita et approbata fuerint (Tit. I, cap. 1, nn. 3, 4 et 6).

Patres concilii Claromontani, anno eodem habiti, eadem monumenta sive divinae sive ecclesiasticae eruditionis recitantes, subjungunt: « Quaecumque igitur credenda, quaecumque servanda decernit summus Pontifex, haec credenda et servanda amplectimur; quae damnat et respuenda judicat, haec damnamus et respuimus, declarantes insuper sanctione quavis potestatis civilis nullatenus indigere apostolicas constitutiones, tum dogmaticas, tum disciplinares.

» Summus ab omnibus Christifidelibus et ministris rependatur honor, et plenum peramanter praestetur obsequium B. Petri successori, quem omnium patrem et dominum fecit Christi

charitas et auctoritas; et haeresis nota affecti maneat qui primatum ejus figmentum humanum, apostolicis saeculis ignotum, ausi sunt asserere. Reprobata etiam maneat contumeliosa Domini extranei appellatio, qua beatissimum Patrem nonnulli attentaverunt appellare (Tit. I, dec. de summo Pontifice).

Iisdem monumentis inhærentes Patres concilii Auscitani, anno 1851 celebrati, sic loquuntur: « Quapropter damnamus eos omnes qui Sedi apostolicae non consentientes, ab ejus et ideo totius Ecclesiae communionem se sequestrant (Form. Norm. Labb. t. IV, col. 1501); qui extra hanc domum agnum comedit profanus est, et qui non colligit cum Petro spargit (Hieron. ad Damas).

» Damnamus eos qui, solum nomine, Pontificis primatum retinentes, nunc ut merum unitatis symbolum habent, non autem ut verum munus et officium divinitus collatum pascendi universalem Ecclesiam; quasi caeteris episcopis tantum gradu non autem supremae potestatis amplitudine antecellat (Pius VI, brev. Super soliditate, contin. Bullar. t. VII, p. 671).

» Damnamus eos qui apostolicum primatum non ab ipso Christo immediate institutum dicunt, sed a communitate fidelium, quippe quae, democratico more, regiminis sui formam instituire potuerit (Bulla Auctorem fidei, prop. iii; contin. Bullar. t. IX, p. 368).

» Sacerdotes enixe hortamur in Domino ut populos sibi commissos, depulsis omnibus haereticis diabolicis, sanam de auctoritate pontificia doctrinam doceant. Memores verbi S. Ambrosii, « Ubi Petrus, ubi Ecclesia, » semper et in omnibus nobiscum immotae apostolicae Sedi corde et ore adhaereant, confidentes quod sicut ductore Petro praeteritas Ecclesiae nostrae tempestates salvi evasimus, ita in soliditate petrae firmati, contra quaslibet futuras diaboli fraudes subsistemus invicti (Tit. II, cap. 1, nn. 23, 24, 25 et 27).

Tit. I, cap. 1, n. 3, iidem Patres Auscitani jam scripserant: « Evangelicis institutis et conciliorum definitionibus inhærentes circa ecclesiasticae potestatis plenitudinem B. Petro et legitimis ejus successoribus a Christo immediate collatam, summorum Pontificum constitutiones amplectimur tanquam veras credendi et agendi regulas quae fideles omnes, vi propria, obligant independentem a cujuslibet potestatis sanctione et acceptance. »

Anno 1852, concilium plenum totius Americae septentrionalis federatae Baltimore celebratum est, praesidente Francisco Patrio Kenrick, archiepiscopo Baltimorensi, delegato apostolico. In hoc concilio sex archiepiscopi et viginti sex episcopi sederunt cum pluribus theologis et canonistis. Porro, in primo decreto, de primatu Romani Pontificis, sic locuti sunt: « Patres hujus concilii plenarii, ex omnibus Statibus federatis Americae septentrionalis congregati, praeside archiepiscopo Baltimorensi tanquam apostolicae

Sedis delegato, summum quo Sedem apostolicam Romanam prosequuntur obsequium profitentur; agnoscunt quippe, juxta definitionem in concilio Florentino promulgatam, Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, etc... Beatissimum igitur Pontificem Pium IX caput totius episcopatus agnoscunt divino jure constitutum, ejusque esse fratres in fide confirmare, cum unus sit omnium Pastor.

» Doctrinam insuper, quam ab apostolis traditam in Ecclesia Romana constat semper esse servatam per episcoporum successionem, profitentur integram, prout in conciliorum auctoritatem, praesertim Tridentini, decretis, et in summorum Pontificum constitutionibus explicata est. »

Inter decreta concilii Viennensis, in Austria, anno 1858 habiti, sequens legitur: « Cum prout unus est Christus, una est Ecclesia sponsa ipsius, Dominus noster unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit (Cypr. de unit. Eccl. cap. iv). Igitur omnibus quidem apostolis dixit: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (Joan. xx, 2), unum autem Petrum petram constituit, super quam aedificavit Ecclesiam suam, ne portae inferi praevalerent adversus eam; pro uno Petro rogavit ne deficeret fides ejus; unum Petrum fratres suos confirmare jussit; uni Petro agnos et oves pascendos tradidit. Petrus apostolorum princeps et caput semper in suis successoribus vivit (conc. Ephes. act. III, ap. Colet. III, col. 1134), et per Pontificem Romanum loquitur (conc. Chalc. act. II, ap. Colet. IV, col. 1233). Quapropter dominicis obedientes verbis, cum S. Ignatio martyre, qui secundum post Petrum Antiochenorum Ecclesiam rexit (Euseb. Caes. Hist. eccl. III, 22, 36) Ecclesiam Romanam charitatis caeteri praesidentem (Epist. ad Rom.) salutamus, et cum S. Irenaeo discipulo S. Polycarpi, qui S. Joannem apostolum docentem audierat, profitemur cum hac Ecclesia, propter potiorem principalitatem, necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique fideles. Cum omnibus autem, qui in orbe terrarum sunt, catholicis, tenemus et annuntiamus quae concilii Florentini Patres, Occidente et Oriente in unum conspirantibus, decreverunt: « Definimus » Romanum Pontificem, etc. »

« Quamvis Pontifex Romanus universae, quae sub caelo est, Christi Ecclesiae moderator et pastor existat (Theod. Stud. epist. 1, n. 34), Occidentis tamen Ecclesiae peculiari simul titulo praest. Quarto jam post Virginis partum seculo, provinciae omnes quae tunc Italiae, Galliarum et Illyrici praefecturis continebantur patriarchali ejus juri suberant: unde cum major et melior Illyrici pars imperio orientali adjiceretur, episcopus Thessalonicensis delegationem accepit iara patriarchalia his in provinciis, sanctae Sedis nomine, exercendi; neque refragabantur Graeci, donec pace ecclesiastica

iconoclastarum haeresi perturbata, Illyricum orientale patriarchatui Constantinopolitano usurpatione iniqua transcriberetur. Patriarchatui Romano accessit Germania laboribus apostolicis virorum, qui patriarchali summi Pontificis potestati suberant, ad Christum et vitam perducta; S. Bonifacius, qui in re christiana per Germaniam propaganda et confirmanda omnibus abundantius laboravit, legatione apostolica fungebatur. Cum itaque Sedi apostolicae multiplici titulo devincti simus, sanctum nobis est honorem matri, obsequium magistræ omnium Ecclesiarum debitum coram caelo et terra profiteri et Petro in Pio Nono propensissima voluntate persolvere (Tit. II, cap. 1). »

Tandem Patres concilii Colonien-sis, anno 1860 celebrati, de Romano Pontifice luculentissime post alios tractant. « Christus, inquit, ut Ecclesiae, corpori suo mystico et visibili, visibile etiam, postquam hinc discessisset, caput constitueret, Simonem Petrum apostolorum creavit principem. Id ut significaret, super Petrum se aedificaturum Ecclesiam edixit. Quam aedificium a fundamento, eandem a Petro, fundamento visibili, firmitatem acceptura declaratur Ecclesia. Sunt quidem et reliqui apostoli, cum potestate praediti sint, Ecclesiae fundamenta, attamen non tam insigni quo Petrus modo. Hic enim praeter ceteris unum et universale constituitur fundamentum, cum ei, sicut praeter ceteris Jesum Christum Dei Filium professus erat, praeter ceteris prerogativa esset deferenda. Hoc quo fieret manifestius, plenam de omnibus quae ad Ecclesiam respiciunt statuendi seu clavium potestatem Christus ei promisit. Etsi clavium potestas etiam reliquis concedenda erat apostolis, eminentior tamen modo confertur Petro, cum, quod omnibus est commune, non singularis dignitas fuisset nec munus singulare ob singularem fidei professionem delatum. Haec autem singularem dignitatem et potestatem regere Christus tunc contulit in Petrum, cum, postquam e sepulchro vivus proderit, agnos ovesque pascendi munus eidem imposuit. Soli iterum Petro munus hoc tam amplum, quod et agnos et oves totumque Christi gregem, omnes denique, qui inter Christi oves referri cupiunt, omnes proin Ecclesiae ordines respicit, demandari videmus, cum Petrus, an praeter ceteris apostolis Christum amet interrogatus, praeter ceteris etiam distinguendus declaratur. Jam etiam manifestum est cur soli Simoni Petro Christus nomen imposuerit, quod aliquam in Ecclesia significaret potestatem, cur singulari modo pro Petro rogaverit ne ejus deficeret fides, et ut aliquando conversus fratres confirmaret.

» Longum est Patrum tam Graecorum quam Latinorum singillatim referre testimonia, qui modo a Petro unitatis originem repetunt (Cyprian. de Unit. Eccl.), modo eundem caput constitutum dicunt, ut schismatis tollatur occasio (Hieron. in Joann. lib. I, n. 26), modo os et apostolorum principem appellant (Chrysost. hom. 87 in Joann.), modo ubi

Petrus ibi Ecclesiam esse declarant (Ambr. in Psal. xl). Communem fuisse apud Graecos et Latinos illam Christi verborum interpretationem e S. Gregorio Magno discimus, qui apud Mauritium imperatorem de Joanne Constantinopolitano episcopo, universalis sibi appellationem arrogante, conquerens scribit: Cunctis Evangelium scientibus liquet quod voce dominica, sancto et omnium apostolorum Petro principi apostolorum totius Ecclesiae cura commissa est.

» Petro apostolorum principi unum aliquem in principatu successisse pronum jam est concludere, quandoquidem Christus cum illo apostolorum collegio, quemadmodam tunc erat constitutum, se perpetuo mansurum promiserat; hoc autem apostolorum collegium ita constitutum erat ut unus in eo gereret primatum. Petrus porro illud est Ecclesiae fundamentum illeque rector, a quo firmitatem Ecclesia acciperet, ut hostibus perpetuo esset superior. Semper autem aedificium indiget fundamento semperque civitas rectore. Dein cum semper his in terris ligandae et solvendae sint res gravissimae, semper etiam sit qui amplissima illa Petro demandata in Ecclesia polleat potestate necesse est. Denique cum semper sint oves agnoscendi pascendi semperque fratres confirmandi, non ad Petri personam munus hoc gravissimum Christus restrinxisse existimandus est. Itaque Petri aliquo successore constituto, corpus Ecclesiae visibile visibili insignitum est capite, et perfectissima gaudens unitate, quae facile per orbem disjicerentur membra colligit, mutuoque inter se Jungit nexu.

» Romanos vero Pontifices Petri, Romae pro fide interfecti, esse successores, id quidem inde ab initio constat omnibus, unde et rerum ecclesiasticarum scriptores antiquissimi, cum Romanorum Pontificum texunt seriem, a Petro incipiunt (Tertull. de praescript. cap. xxxii. — Iren. adv. Haer. lib. III, cap. iii. — Opt. Milev. adv. Parm. lib. II, cap. ii et iii). Cum enim episcopo succedat is qui defuncti sedem eo qui statutus est modo occupat, Petro tanquam Romanae Ecclesiae episcopo defuncto successerunt illi, qui in ejus locum Romae deinceps suffecti sunt. Collatam Petro potestatem pascendi, ligandi et solvendi fratresque confirmandi in se transiisse norant inde a primis saeculis Romani Pontifices. Praeclaris id S. Leo Papa effert verbis: « Quamvis, inquit, singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, nobis tamen cum omnibus cura communis est, neque cujusquam administrationis non nostri laboris est portio; ut, dum ad beati apostoli Petri Sedem ex toto orbe coneuritur, et illa universalis Ecclesiae a Domino eadem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deponitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis majora debemus (Serm. 4, al. 3, in Ann. assumpt., cap. ii). Petrum in Romanis Pontificibus vivere ac per eos-

dem loqui norant concilii Chalcedonensis Patres omnes qui, recitata Leonis Papae epistola uno ore professi sunt: « Petrus per Leonem locutus est. » Romana Ecclesia S. Cypriano est « Petri cathedra » atque Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotum talis exorta est (ep. 55), est Ecclesiae catholicae radix et matrix, quam ut agnoscant et teneant alios hortatur (ep. 45). » De Romana Ecclesia agens S. Irenaeus ait: « Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles (adv. Haer.). » Non sua solum, sed omnium sensa S. Bernardus pandit, cum Eugenium Pontificem hisce compellat verbis: « Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeteri janitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utramque praeter ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Unde id pronem quaeris? ex verbo Domini (De consider. lib. II, cap. viii). »

» Itaque ad declarandam nostram in hanc Sedem Romanam et illum, qui Dei providentia nunc eam gloriosissime tenet, sanctissimum Patrem nostrum Pium IX venerationem et submissionem cum Patribus Florentini oecumenici concilii profiteamur sanctam apostolicam Sedem et Romanam Pontificem in universum orbem tenere primatum... » Insuper his qui praesentem materiam, de primatu scilicet Romani Pontificis, eruditiori methodo aggredi vellent, cum maximo fructu opera celebris Zaccariae perlegent, signanter sequentia quae rarius inveniuntur: *Le dottrine del preteso secolo illuminato XVIII intorno la gerarchia e la disciplina ecclesiastica confrontate colle dottrine del tenebroso secolo XIV*; Faenza, 1780, in-8°. — *Comandi che può, ubbidisca chi dee; o sia dissertazione della forza obbligatoria dell' ecclesiastica disciplina*; Faenza, 1788, in-8°. — *Rendete a Cesare cio ch'è di Cesare; ma sia Dio rendete quel ch'è di Dio, o sia dissertazione sulla podesta regolatrice della disciplina*; Faenza, 1788, in-8°.

ADNOTATIO II.

Lib. I, Decret. tit. XXXI, § I, n. 31, pag. 2.

AN PAROCHI JUS HABEANT FERENDI CENSURAS?

Negative respondet auctor noster et quidem merito. Circa hanc quaestionem sic se exprimit Giraldus